

Eusebius Amort

**Eusebii Amort Canonici Regularis ... Judicia De Wolfiana Philosophia Et Logica  
Et De Leibnitiana Physica S. Monadologia : Cum brevibus Stricturis**

Francofurti Et Lipsiae, 1747

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767490231>

Druck Freier  Zugang



EUSEBII AMORT

*Canonici Regularis Latevanensis ad SS. Salva-  
torem in Polling S. S. Theologiae Profes-  
soris & Bibliothecarii*

JUDICIA

DE

WOLFIANA

PHILOSOPHIA ET LOGICA

ET DE

LEIBNITIANA

PHYSICA S. MONA-  
DOLOGIA.

---

*Cum brevibus Severis.*

---



---

FRANCOFURTI ET LIPSIAE.

M DCC XLVII. 646

18

2



## PRAEFATIO.

**B**ibliopola Lectori Benevolo S. Incidi nuper in Eusebii Amort Philosophi & Theologi Pontificii Philosophiam Pollinganam, Augustæ Vindelicorum a. 1730. in Fol. impressam & iniqua ejusdem Judicia de Illustris Wolfii Philosophia & Logica p. 578. sqq. & de Ill. Leibnitii Physica vel Monadologia p. 737. sqq. Vidi Celeberrimum Ludovicum in copioso Catalogo scriptorum pro & contra Philosophiam Leibnitianam & Wolfianam hujus adversarii acerrimi nullam facere mentionem, mearum ergo partium esse duxi ignota hæc judicia e magno Volumine Philosophi-

co descripta seorsum exhibere, in gratiam partim laudatissimi Ludovici, partim quorumcunque strenuorum Philosophiæ regnantis defensorum, ut honorem & existimationem, quam Philosophia hæc inter Pontificios alios obtinuit, refutatione harum Criseon defendere possint. Interim stricturas extemporaneas, quas doctus Philosophiæ cultor Judicio de Wolfiana Philosophia & Logica inter perlegendum margini adscripsit (Monadologiam a Wolfianis defendendam non esse non nesciens) simul edendas putavi, dum copiosiores sequantur. Vale.



I. JU:



I. JUDICIUM  
DE PHILOSOPHIA ET LOGICA  
WOLFII,



Christianus Wolfius, Professor in Academia Hallensi Brandenburgensi, tria jam diversa opuscula Logica edidit; primum erat Germanicum sub titulo: Vernunft-*Lehr*; alterum erat Latinum; sub titulo: *Philosophia rationalis*. Tertium hoc anno 1728. prodiit; sub titulo *Philosophia rationalis sive Logica, methodo scientifica pertractata*. In hoc ultimo omnia complectitur quæ in prioribus utilia dixerat. Ea vero, quamvis paucissima ac etiam tenuia sint, hac vice opere vastissimo secundum latum, nescio an etiam profundum diduxit. Si Arnoldus, Author *Artis cogitandi* surgeret, golriaretur,

tur, se non frustra Mathematicis scripſiſſe dicam, quod onerent memoriam propoſitionibus alias per ſe maniſteſſimis. a) Wolffius certe totum opus replevit meris axiomatibus, & poſtulis, & obſervationibus, de quibus nemo facile dubitaverit; ſed ille veritates illas circum undique munit et involuit demonſtrationibus; veritus forte ne læderentur a muſcis, ſi ſine demonſtrationum ſtagro incuſtoditas reliquiſſet tam nobiles ſui ingenii partes. Nobis autem ſuffecerit, patienter revidiſſe ipſas Wolffii propoſitiones; ſcio, demonſtrationes læctor benevolus non requiret.

Opus in duas partes diviſum eſt Prima eſt, Logica Theoretica. Secunda Præctica. Quibus diſcurſum præliminarem præmittit, de Philoſophia in genere. Logica Theoretica agit. 1. De Ideis. 2. De Propoſitione. 3. De Ratiocinatione. Logica præctica agit. 1. De Criterio veritatis certo & probabili. 2. De Experientia. 3. De Scribendis & dijudicandis libris. 4. De Interpretatione. 5. De Methodo defendendi & refutandi. 6. De

- a) Sed ſuperflua non nocent: melius eſt pauca utilia prolixiffime & accuratiſſime demonſtrare, quam multa ſine probatione gratis aſſumenda proponere; & quicquid demonſtratum eſt, utile eſt ad perficiendum intellectum,

6. De Methodo docendi. 7. De usu  
Logicæ in praxi vitæ,

DISCURSUS PRAELIMINARIS  
DE PHILOSOPHIA IN  
GENERE

CAPUT I.

**D**E triplici cognitione humana, Hi-  
storica, Philosophica, & Mathe-  
matica.

1. Sensuum beneficio cognoscimus,  
quæ in mundo materiali sunt & fiunt;  
& mens sibi conscia est mutationum, quæ  
in ipsa accidunt. Sane sensu duce nobis  
innotuit, dari animalia, mineralia, homi-  
nem inter bestias educatum rationis usu  
minime pollere.

NB. Falsum est, nos omnia scire,  
quæ fiunt in anima; justificatur infans  
per baptismum, etiamsi hoc nesciat; aut  
certe contrahit peccatum originale, quam-  
vis hoc nesciat. b) Operatur anima mul-  
ta in corpore, quamvis hoc nesciat; aut  
A 4 pona-

b) Instantiæ Theologicæ non pertinent ad Philo-  
sophiam; nec licet Philosopho Pontificiæ re-  
ligioni addicto, suæ religionis opiniones, &  
eodem sensu a Protestantibus non admissas,  
tanquam instantias contra Philosophum reli-  
gionis Evangelicæ adhibere.

ponamus verum esse totum systema Wolfianum & Leibnizianum; animam esse quendam mundum, in quo evoluantur rerum & cognitionum series, quin anima aliquid agat in corpus aut aliquid patiatur a corpore; certum tamen est, animas omnium hominum, usque dum veniret Leibnizius & Wolfius, ignorasse has suas perfectiones & evolutiones, non igitur anima omnia scit, quæ in se contingunt. e) De in alterum falsum est, quod experientia constet, hominem inter bestias educatum usu rationis non pollere. Ad experientiam & ad universalem propositionem requiritur; ut constanti observatione, per multos casus, in plurimis locis, in diversissimis circumstantiis res observata sit. Has enim leges ipse præscribit Wolfius. Quot autem casus Wolfius proferre poterit pro illa propositione? forte unum? aut etiam alterum? plures certe non: d) & illos ipsos duos non hausit propria experientia, non ipsemet suis usurpavit oculis, nec exami-

- e) Idem dici potest, de influxu quem ante Aristotelem animæ ignorarunt; hæc ergo non ad historicam sed ad philosophicam cognitionem pertinent.
- d) Nec forte sunt plures, saltem Criticus nullum alium proposuit, ne dum contrarium, E, non habet, quod cum ratione opponat.



examinavit circumstantias. Tertium peccatum Wolfii est, quod principio totius Philosophiæ quod deberet esse omnium certissimum, & concessum ab omnibus, prout præscribit ipse de Methodo, hic immisceat ea, quæ sunt dubia, aut certe controversa. Nihil itaque accurati nobis promittit Wolfius in aditu sui operis. e) Pergamus ad certiora.

3. Cognitio eorum, quæ sunt atque fiunt, sive in mundo materiali, sive in substantiis immaterialibus accidant, Historica a nobis appellatur.

4. Ea, quæ sunt vel fiunt, si non destituuntur ratione, unde intelligitur, cur sint vel fiant.

NB. Potuisset Wolfius dicere, non destituuntur sua causa, sed, quia ex systemate Leibniziano supponitur omnia vivere, sentire, & intelligere, f) noluit præjudicare huic sententiæ, sed potius uti termino æquivoco, g) dicendo, non destituntur

A f

tuuntur.

e) Refutatis præmissis cadit conclusio.

f) Hoc est figmentum Critici, ratione falsissima & a mente Wolfii alienissima, interpretantis Principium rationis sufficientis.

g) Definitus est a Wolfio in ea latitudine, ut principium cognoscendi & essendi complectatur. E. non amplius est æquivocus.

tuuntur sua ratione. Uti vero terminis æquivocis in ipsis scientiarum principiis, est contra Methodum.

6. Cognitio rationis eorum, quæ sunt vel fiunt, Philosophica dicitur.

7. Differt cognitio Philosophica ab Historica.

8. Qui novit, quam facti rationem alleget alter; is Historicam habet cognitionem cognitionis Philosophicæ alterius.

9. Si quis demonstrare non noverit rationem facti ab altero allegatam esse ejus rationem, is cognitione Philosophica ejusdem facti destituitur.

10. S. per experientiam stabiliuntur ea, ex quibus aliorum, quæ sunt atque fiunt, vel fieri possunt, ratio reddi potest, cognitio Historica Philosophicæ fundamentum præbet.

11. Apparet adeo, cognitionem Historicam non esse negligendam ei, qui ad Philosophiam aspirat, sed eidem potius præmitti, imo cum ea constanter conjungi debere.

12. Quidquid finitum est, sua determinata gaudet quantitate.

NB. Hic pessime errat Wolfius, aut certe supponit aliquid pro principio, quod plerumque negatur, aut controvertitur. Datur quantitas molis, & quantitas virtutis, ut loquitur D. Augustinus in libro de quan-

quantitate animæ, ubi quærit, utrum anima habeat quantitatem? Quod vero anima & alii spiritus non habeant quantitatem molis seu extensionis, de qua sola Wolfius loquitur, docent alii Philosophi communiter. Verum quidem est, quod Wolfius cuidam suarum opinionum ignaro possit videri, quasi loqueretur etiam de quantitate virtutis, dum loquitur de gradibus caloris, attentionis, virtutum, & vitiorum; sed hæc omnia constituit in re quantà, ut ex ejus hypothesi liquet. h)

14. Cognitio quantitatis rerum est ea, quam Mathematicam appellamus.

NB. Mathesis tantum considerat quantitatem discretam, quæ est in numeris & continuam, quæ est molis. Si aliud Mathesi objectum constituit, eo ipso sumit terminum jam receptum in alia significatione, quam sumunt omnes alii, quod est contra Methodum, i) quia sic omnia confunduntur & aperitur janua æquivocationibus. Si vero hic Mathematicam sumit in ea significatione, in qua sumitur ab aliis, eo ipso per quantitatem hic non intelligit quan-

h) At Wolfius animam statuit immaterialem. E. quantitatem in latiori sensu accipit,

i) Non est contra methodum si definitione indicatur,

quantitatem virtutis; alias sumeret eundem terminum aliter in præmissis, aliter in consequente, quod non licet. Nihil igitur accurati est in his præliminariis.

15. Qui novit quantitatem rei ab altero assignatam, is Historicam habet cognitionem cognitionis Mathematicæ alterius.

16. Si quis quantitatem rei ab altero assignatam demonstrare valet, is ejusdem cognitionem Mathematicam perinde ac alter habet.

17. Differt autem utique cognitio Mathematica cum ab historica tum a Philosophica.

18. Nonnunquam Historica cognitio fundamentum præbet cognitioni Mathematicæ, non nunquam Philosophica.

19. Veritarum Mathematicarum datur etiam Historica cognitio.

20. Facta naturæ latent subinde, ut non se sponte offerant attendenti.

21. Historica cognitio communis in firmus cognitionis humanæ gradus est.

22. Cognitio vulgi & ea, qua in vita utimur, plerumque non nisi Historica est.

23. Cognitionem Historicam arcanam (de rebus naturæ arcanis) ad formam communis sæpius ars reducit.

24. In-

24. Inde consequitur utile fore ad philosophandum, si phænomena in officinis artificum & alibi in arte obvia colligerentur, & accurate describerentur.

25. Si quis per rationem aliquid fieri posse cognovit, factoque experimento idem fieri observat, is cognitionem Philosophicam Historica confirmat.

26. Si quantitas effectus viribus causæ proportionata demonstratur, cognitio Philosophica a Mathematica haurit omnimodam certitudinem.

NB. Hic iterum æquivocatur subdole aut imperite Wolfius. Si enim datur quantitas virtutis, v. g. virtus movendi corpora in Deo, Angelis, & animabus, aut virtus generativa in grano tritici, etiam si commensuratur effectui, non tamen ea cognitio a Mathematica demonstratur. Innumeri dantur effectus in anima, quando, v. g. quæritur, utrum homini impossibile sit servare omnia mandata, & tamen non demonstrantur a Mathematica sed Theologica. k)

28. In-

k) Iterum instantia Theologica male profertur in Philosophia, adhuc Mathematica cognitio dici potest, quod in homine corrupto vires non sufficiant ad servanda omnia mandata.

28. Inde consequitur, quod cognitio Mathematica cum Philosophica conjungenda sit, ubi summæ, quæ datur, certitudini studueris.

NB. Iterum nihil accurati aut veri decernit Wolfius, ponit propositionem & terminum indefinite, *cognitio Mathematica conjungenda cum Philosophica*. An omnis cognitio? an semper conjungenda? an cum omni Philosophica? regulæ quidem logicæ præcipiunt, ut propositiones, & termini in re dogmatica ac scientifica sumantur universaliter; si hanc regulam sequitur Wolfius, errat, quia dantur cognitiones philosophicæ circa objecta spiritualia v. g. circa animam, in quibus Mathematica non reperiunt quantitatem trinæ mensurabilem. l) Itaque non infimus gradus necessario est cognitio Historica, possumus enim & digniora objecta, & ad felicitatem humanam utiliora, & frequenter etiam certius cognoscere, dum credimus fide historica quæstiones facti, quæ ad certitudinem fidei præsupponuntur v. g. quod extiterit aliquis homo, qui vocabatur Jesus; quod peracta sit promulgatio evangelii &c. m) Quæ omnia certius scimus, quam

l) Sed tamen quantitatem latius dictam, not. h)

m) Hæc omnia Mathematica methodo hodie demon-

quam mensuram, motum, magnitudinem, & distantiam syderum, aut alia objecta Matheseos; quarum notitia dependet ab observatione, experientia, ac mensuratione.

## CAPUT II.

### DE PHILOSOPHIA IN GENERE.

29. Philosophia est scientia possibilium, quatenus esse possunt.

NB. Falsissimum hoc est; per philosophiam enim non solum cognoscimus, quæ sintabilia, sed etiam quæ actu existunt. n)

31. In Philosophia reddenda est ratio, curabilia actum consequi possint.

32. Quodsi ergo plura fuerint, quorum unum æque est possibile ac alterum, Philosophia docere debet, cur illud potius fieri debeat, quam alterum.

NB. Miserabile est hoc commentum, Ponamus enim posibles esse plures mundos,

demonstrantur in Theologia e. g. Carpovii.

o) Quæ actu existunt, sub possibilibus comprehenduntur: quædam posibles existunt, quædam non existunt.

dos, aut plures hypotheses; In primis fieri potest, quod Deus non habeat majorem rationem assumendi potius hanc hypothesin quam aliam, sed pendet determinatio a liberrima voluntate. o) Contraria Leibnizii & Wolfii suppositio, quod Deus semper inveniat & teneatur sequi *rationem sufficientem*, ut vocat, seu rationem prædominantem, est impossibilis, & impia: Impossibilis est, quia Deus non cognoscit collectivè infinitas hypotheses possibiles, sed tantum distributive; p) neque enim datur numerus infinitus collectivus omnium. Igitur Deus non poterit comparare hypothesin cum omnibus possibilibus collectivè sumtis; adeoque nec poterit invenire rationem unquam sufficientem, eo quod data comparatione quacunque intra collectionem possibilium finitam sit possibilis alia collectio possibilium. Impia etiam est, quia si Deus tenetur sequi rationem sufficientem cum hæc in rebus possibilibus sit immutabilis, Deus existens necessarium in agendo, q) omnia debebunt fieri, ed

- o) Est alia voluntas Dei naturalis, alia libera,
- p) Ergo Criticus negat Omniscientiam Dei.
- q) Modo non fit coactus a principio externo, libere vult optimum propter perfectiones summas.



eo modo, quo est melius ea possibilis fieri, igitur omnia fiunt fato, seu ex necessitate prædominantis bonitatis in possibilitate entium, igitur nec datur Providentia, nec libertas humana, igitur & frustraneæ preces, & vana omnis Religio; quia si optimum ut veniam in ordinem Salvationis, debet hoc fieri; si non est optimum, non poterit hoc fieri. r) En! quanta crimina in unica Philosophiæ definitione. quod sit cognitio possibilium, quasi possibilitas optima sit ipsa existendi necessitas. Dein posito etiam, verum esse principium hoc atheisticum, s) Deum teneri sequi rationem sufficientem in possibilibus, non erit propterea Philosophiæ opus, in hanc ipsam rationem sufficientem inquirere, cum humana ratio finita infinitum possibilium pertransire, adeoque optimum invenire non possit. Vanum ergo est fundamentum & ædificium totius Wolfianæ Philosophiæ,

B nec

r) Deus non potest non permittere peccata, alias decreto de creando homine libero adversaretur: quæ in particulari sunt mala, in toto mundo ad bonitatem & perfectionem pertinere possunt. His observatis cadunt omnes Critici consequentiæ.

s) Non esse atheisticum ex antecedentibus observationibus patet; an Critici negatio Omniscentiæ Dei notata lit. p) non sit atheistica, alii dispiciant.

nec aliud exigendum a Philosopho, quam ut per experientiam discat eas naturæ leges, quas Deus in hoc cursu rerum libere posuit. Omitto in hoc capite reliqua, quia sunt ejusdem farinae.

### CAPUT III.

## DE PARTIBUS PHILOSOPHIAE.

55. Entia, quæ cognoscimus, sunt Deus, animæ humanæ, ac corpora. NB. Nulla hic de Angelis mentio. 1)

56. Tres hinc nascuntur Philosophiæ partes, quarum una de Deo, altera de anima humana, tertia de corporibus seu rebus materialibus agit. Dein Wolfius singulas partes philosophiæ enumerat. Nempe 1. Theologiam naturalem. De Deo 2. Psychologiam, de anima. 3. Physicam, de corporibus: Ad animastica refert Ethicam, Politicam, Technicam seu Technologiam, seu artium notitiam. Dein Ontologiam, quæ agit de ente in genere, Cosmologiam de mundi systemate, Pneumatologiam, de spiritibus quos prius in generali divisione oblitus erat, u) Meteorologi-

1) Quis Philosophia nihil de iis demonstrare potest.

u) An animæ humanæ non sunt Spiritus?

logiam, de phænomenis in aëre, Oryctologiam de fossilibus, Hydrologiam, de aqua, Phytologiam de vegetabilibus, Physiologiam, de corpore animato, Anthropologiam de homine, Pathologiam de corpore aegrato seu morbis, Teleologiam de finibus rerum.

En! quanta habeamus subsidia a Wolfio, quod nomina Græca ediderit rerum, quæ sub detrimento latius pallio nimium vilescerent, quamvis hoc dolendum, quod unius vel alterius talis felicissimæ denominationis non simul ediderit rationem sufficientem Magnus Philosophus; forte melius intelligeremus; quid sit Pathologia, & Physiologia.

#### CAPUT IV.

### DE METHODO PHILOSOPHICA.

116. In Philosophia non utendum est terminis nisi accurata definitio explicatis.

NB. Patere legem, quam tunc rusticus

117. In Philosophia non utendum est principiis, nisi sufficienter probatis.

118. In Philosophia nulla admittenda est propositio, nisi quæ ex principiis sufficienter probatis legitime deducuntur.

119. In Philosophia termini, qui ingrediuntur definitiones sequentes, explicari debent per antecedentes. Reliqua hujus capitis præcepta non sunt minus clara.

## CAPUT V.

### DE STYLO PHILOSOPHICO.

142. In Philosophia a receptu verborum significatu non est recedendum hoc est, verbis non res aliæ a nobis denotandæ sunt, quam quæ iisdem vulgo significantur.

143. Ejusdem vocis idem constanter esse debent in Philosophia saltem in eadem ejus parte significatus.

NB. Hoc ipsum est, quod supra ostendi non observasse Wolfium. Reliqua hujus capitis ad idem redeunt.

## CAPUT VI.

### DE LIBERTATE PHILOSOPHANDI.

153. Si quis Philosophiam Methodo Philosophica tradere debet, ei jugum servitutis in philosophando imponi nequit.

156. Si quis Philosophiam Methodo Philosophica tradere debet, is suo non aliorum debet stare judicio.

163. Si quis Methodo Philosophica philosophatur, is defendere nequit veritati revelatae contraria.

164. Si quis Methodo Philosophica philosophatur, virtuti contraria docere nequit.

167. Si libertas philosophandi integra conceditur iis, qui Methodo Philosophica philosophantur, nullum hinc metuendum est religioni, virtuti, ac Reipublicae periculum.

Hæc sane sunt puerorum potius quam philosophorum præcepta, omnia enim idem sonant, ac si dicerem: si quis in philosophia semper verum dicere debet. x) ei jugum servitutis in philosophando imponi nequit. Vel: Si philosophandi libertas integra conceditur iis, qui in philosophia semper verum dicunt, nullum hinc reli-

B 3

gioni

- x) Prolixa hæc crisis, in qua modestia desideranda est, evanescet, si distinxeris inter Philosophiam possibilem & existentem, inter philosophiam in concreto & abstracto: errores quorundam philosophorum, ne quidem omnibus philosophis, multo minus Philosophiæ in abstracto & omni perfectione possibili consideratæ adscribi possunt. Præterea Criticus hic adoptat Pyrrhonismum Sexti Empirici & Huetii, cum hoc etiam convenit ipsi in religione: Ergo mirum non est adversari Philosophiæ demonstrativæ.

gioni & virtuti imminet periculum. Hæc puerilia esse nemo non videt; ostendo igitur sensum Wolfianorum illorum dictorum eundem esse. Ad Methodum Philosophicam Wolfius §. 118. requirit, ut in Philosophiam propositio nulla admittatur, nisi quæ ex principiis sufficienter probatis legitime deducitur. Quid est hoc, sufficienter, quid hoc legitime? an idem, quod probabiliter, an vero idem quod demonstrative? si prius, ergo sensus erit: In Philosophiam nulla est admittenda propositio, nisi quæ ex principiis probabiliter probatis probabiliter deducitur.

Talis autem propositio haud dubie, ut ipse admittit Wolfius Part. 2. Sect. 1. C. 3. §. 585. tantum probabilis, immo pro ut ego in Arte Critica part. 1. probavi, propositio ex alia probabili tantum probabiliter deducta plerumque ne erit quidem probabilis. Itaque qui sequitur Methodum Philosophicam, id est, qui ponit propositionem probabilem, quæ potest esse falsa, imo quæ etiam est improbabilis, nequit contradicere veritati. Vide, quanta absurditas! si autem hi termini idem significant, quod demonstrative, tunc sensus erit: In philosophia nulla est admittenda propositio, nisi quæ ex principiis demonstrative probatis demonstrative deducitur. Adeoque præcepti Wolfiani hic sensus erit: Qui sequi-

sequitur Methodum Philosophicam, id est, qui omnem propositionem ex principiis demonstrative probatis demonstrative deducit, nequit contradicere veritati. Quo nihil evidentius sed nihil etiam nugacius. Nemo enim potest dubitare, quod ille verum dicat, qui demonstrat, sed utrum Philosophus omnem propositionem vel intendat demonstrare, aut si hoc intendit, revera demonstret, hoc est cardo controversiæ, in quo habemus ipsum Wolfium fatentem reum, aut si loquendum modestius, immemorem sui. De Methodo enim Philosophica C. 4. §. 125. ait: Si qua cognitu utilia demonstrari nequeunt, eorum probabilitas conveniente ratione adstruenda, ipsa autem probabilia a certis probe distinguenda. Et §. 132. In omni parte Philosophiæ is tenendus est ordo, ut ea præmittantur, per quæ sequentia intelliguntur, & demonstrantur, vel minimum probabiliter astruuntur. Dantur igitur & astruuntur aliqua probabiliter in philosophia, possunt igitur aliqua falsa esse in philosophia, etiam sequendo Methodum philosophicam, possunt ergo aliqua in philosophia etiam sequendo Methodum philosophicam contradicere veritati.

Sed fortius instemus, & versemus undique Daretem. Sic argumentor: Vel potest errare qui sequitur Methodum philoso-

phicam, vel non potest errare? si potest  
 errare, tunc potest errare in quavis parte  
 philosophiæ, de Deo, de Anima, in E-  
 thica, Politica, Oeconomica. Si vero in  
 his omnibus errare potest, tunc in rebus  
 gravissimis, quæ præjudicant Religioni,  
 & Republicæ errare potest; si autem in  
 his errare potest secutus Methodum Philo-  
 sophicam, non potest amplius corrigi per  
 rationem, eo quod jam secutus sit omnem  
 rectam viam rationis, seu Methodum phi-  
 losophicam; sola ergo authoritate vel a  
 Deo revelante, vel a sapientioribus semel  
 constituta ac directâ compesci poterit, &  
 debebit, ne pervertatur Religio, & Res-  
 publica perturbetur. Si vero dicas eum  
 errare non posse, qui sequitur Methodum  
 philosophicam; quod debet dicere, quia  
 dicit; eum, qui sequitur Methodum phi-  
 losophicam, *legitime concludere, nil posse*  
*contrarium docere Religioni &c.* quæro, an  
 de hoc ipso ullus hominum, aut saltem  
 communis philosophorum grex certus es-  
 se possit de eo, quod secutus sit in omni-  
 bus Methodum philosophicam? aut, num  
 ipse Wolfius certus sit, se in omnibus se-  
 cutum esse Methodum philosophicam? si  
 nullus hominum de hoc certus est, mani-  
 fest: ridicula est Wolfii regula; si enim  
 de hoc nullus est certus, fieri poterit, ut  
 ille, qui crediderit se omnem servasse Me-  
 tho-

tho-



thodum, re ipsa erret in rebus gravissimis quæ præjudicant Religioni & Reipublicæ, & cum nec errans, nec quivis alius certus sit, quis eorum sequatur Methodum Philosophicam, non poterit talis per rationem & Methodum prohiberi a perversione Religionis & subversione Reipublicæ. Quid ergo superest. Deus superest. Si datur Deus, datur providentia; si datur Providentia, tunc partim per revelationes externas, aut inspirationes internas docet eorum animos, quos in unam saltem fidelium, ac verorum cultorum Dei societatem ordinat; si autem aliquos saltem ex omni hominum genere, per tales reliquos vi suæ sapientiæ in populi fidelis publicam societatem ordinat, eo ipso datur a Deo constituta & instructa authoritas, cui parere debeat fallibilis humana ratio. Si secundum dicatur, ut grex Philosophorum non possit esse certus, an sequatur Methodum Philosophorum, adhuc peior est Wolfii regula, quia quo plures sunt doctores non adeo divino ingenio præditi, ut in tam innumeris errorum periculis semper certi sint, se justissime applicasse rationis regulas; eo multiplicatur magis subvertendæ Religionis & Reipublicæ periculum, si cuivis liceat suomet uti judicio. Nec corrigi poterit stultorum numerus sapientium monitionibus; qui enim implicantur erro-

B 5

ribus,

ribus non solent corrigi, vel quod desint sapientes divini, qui possint monstrare, in quo a Methodo discesserint; vel quod sapientes, qui dantur, non habeant tempus, ordinate persequendi omnia erroris vestigia, vel quod errantes non possint explicare totum suum præjudiciorum, & effectuum, & illationum inenarrabile textum, ut possit longo tractu demonstrationum dissolvi. Si tertium dicatur, ut & ipse Wolfius, finis humani ingenii ac vertex videlicet, non sit certus, se suam secutum Methodum, habet jam regula malorum cumulum. Si enim non est certus, an secutus sit Methodum Philosophicam Philosophorum Princeps, neque certus erit an non posuerit conclusiones contrarias Religioni, bonis moribus, & Reipublicæ. Si de hoc certus non est, ferat jugum gratiæ, suave & leve, quod sapientia Dei constituendo authoritatem magistræ imposuit. Quod si denique respondeat, homines certos esse posse, se in omnibus secutos esse Methodum Philosophicam, haud dubie Wolfius & se ipsum, & totum genus humanum ex integro ignorat. Vidimus enim huc usque, quoties jam a recta ratione, & a vero, adeoque etiam a Methodo recesserit. Dicit ipsemet Part. 2. S. 1. C. 1. §. 544. *Propositio, que demonstrari potest, vera est: si ergo non*  
omnia

omnia Wolfiana vera sunt, ut vidimus, demonstrationes, quæ ipsi tales videbantur, revera tales non erant. Quod etiam genus humanum ex integro ignoret, ex eo conficio. Vel admittit Wolfius; genus humanum hæcenus habuisse veram Philosophicam Methodum, vel id non admittit? si id non admittit? colendus est quidem nobis Wolfius in semideorum numero, qui rem tam admirandam, criterium veri, invenerit; sed non debet irasci humano generi, orbique universo, quod jugo humanæ authoritatis ingenia Doctorum subjecerit, quamdiu tot seculis expectatum criterium veri in Wolfianis idets delituit, & nondum Philosophica Methodus in hac nova lege gratiæ, ac seræ libertatis mundo illuxit. Si vero admittit, genus humanum jam semper habuisse Philosophicam Methodum, vel conatam felicioribus quibusdam ingeniis, qualia in Platone & Socrate deprehendimus, vel per Logicam communem in Scholis traditam, evidens est, Philosophicam Methodum id non præstare, ut qui eam sequi jubentur, aut profitentur, nequeant Reipublicæ & Religioni docere contraria. Historiæ produnt optimorum etiam Philosophorum Platonis, Aristotelis & quorumvis aliorum in rebus gravissimis impia dogmata, in quibus suo tantum judicio

cio

cio res Religionis & morum subicere, non  
 iudicium Religioni submittere voluerunt.  
 Ignorat ergo totum genus humanum, ig-  
 norat infinitudinem humanæ imbecillitatis  
 per mille errorum occasiones tractæ in  
 perniciem, ignorat leges contingentium,  
 ex quibus evidens est, humanas operatio-  
 nes nunquam uno constanti rectitudinis  
 tramite procedere uniformiter, ignorat  
 denique incertitudinem scientiarum, ab A-  
 cademicis, a Sexto Empyrico, a Daniele  
 Huetio saltem in multis demonstratam,  
 qui orbe toto reclamante imaginari ausus  
 est, homines certos esse posse, se in om-  
 nibus sequi Methodum Philosophicam om-  
 nis veri magistram. Falsa ergo est & ri-  
 dicula hæc doctrina Wolfii; sed parum  
 foret, nisi foveret majus impietatis vene-  
 num; tolerantiam videlicet Religionum  
 omnium; ponamus enim jam fore aliquos,  
 quibus secutis Methodum Philosophicam  
 in parte Philosophiæ videatur evidenter  
 impossibile Mysterium Trinitatis, aut unio  
 Verbi cum natura humana in unitate per-  
 sonæ, aut cui videatur certum, perfectio-  
 nes divinas v. g. Ideas divinas, ut Poire-  
 tus docuit, realiter distingui a Deo, eas-  
 que de novo produci pro lusu Divinæ  
 Omnipotentiae; ponamus talem Philoso-  
 phum cogitare emanationem talium divi-  
 narum idearum tanquam Genealogiam an-  
 tiquam

tiquam triginta aut centum æonum, ut & ipse Christus tantum virtus fuerit emanata a Deo, ponamus videri cuidam secundum suam Philosophiam tres personas in Deo tantum habere unam naturam, sicut personas humanas per similitudinem, prout docet Clericus; vel sit alius, qui sapientiam patris faciat creaturam, quæ migret ab uno orbe in alterum, prout Arriani. Origenistæ, & Whistonus sentit in Anglia; vel ponamus, qui credat, Deum se communicasse Christo tantum per habitum infusum sapientiæ, aut per operationem in Christo, ut verbum nihil aliud sit, quam ratio ipsa, prout sentiunt tremulantes & Quakeriani in Anglia. Si, inquam hæc omnia videantur alicui evidentia secundum Methodum Philosophicam, secundum Theologiam naturalem, secundum Philosophiam possibilium; si talis dicat, se non posse contradicere veræ Religioni, eo quod sequatur Methodum Philosophicam, nonne subversa erunt omnia Religionum fundamenta, & migrare cogemur vecti talibus opinionum monstris in Turciam, & extremam impietatis provinciam? videat Wolfius, furculus Whistonianus Germaniæ, non latere nos suæ Philosophiæ consilia. y) Aut si denique in secreto cordis sui

y) Somnia febrilia.

fui hanc sibi sumit solitariam de errore ne-  
 mine applaudente gloriam, etiam hanc ipsi  
 non per invidiam sed daturus resipiscen-  
 tiæ locum eripio, dum expuncta Wolfia-  
 na Philosophica Methodo antiquum syllo-  
 gismum demonstrativum Aristotelicum  
 substituo. Hanc substitutionem ipse con-  
 cesserit, dum Sillogismum illum pro cri-  
 terio veritatis admittit. Part. 2. S. 1. C. 1.  
 §. 545. sic ait: „Ad verum a falso discer-  
 „ nendum regulæ Logicæ sufficient; pro-  
 „ positio enim cum vera sit quæ demon-  
 „ strari potest, verum a falso discernit.  
 „ Quoniam itaque demonstratio constat  
 „ Syllogismorum concatenatione, quo-  
 „ rum præmissæ sunt definitiones, axio-  
 „ mata, experientiæ indubitatae, propo-  
 „ sitiones jam demonstratae, verum a falso  
 „ ut quis discernere possit, facultatem ha-  
 „ bere debet judicandi, num definitiones,  
 „ quibus utimur in demonstrandis propo-  
 „ sitionibus sint genuinae, num experien-  
 „ tiæ, quas sumimus, sint indubitatae,  
 „ num axiomatis nomen mereantur pro-  
 „ positiones, quæ pro talibus venditan-  
 „ tur, num forma syllogismorum sit ge-  
 „ nuina, denique num syllogismi rite in-  
 „ ter se concatenentur: At hoc docet Lo-  
 „ gica; ergo, Regulæ Logicæ sufficient  
 „ ad verum a falso discernendum. Sup-  
 „ pono

„ pono in Logica tres mentis operationes  
 „ legitime explicari, id quod jam factum  
 „ est a Scholasticis, nisi quod distinctis  
 „ notionibus fuerint destituti, quem de-  
 „ fectum nos supplevimus, unde & Leub-  
 „ nitius in Actis Eruditorum 1684. agnos-  
 „ cit, non contemnenda veritatis enuntia-  
 „ tionum criteria esse regulas communis  
 „ Logicæ, quibus & Geometræ utuntur,  
 „ ut scilicet nihil admittatur pro certo, ni-  
 „ si accurata experientia vel firma demon-  
 „ stratione probatum. Demonstrationem  
 „ autem firmam judicat, quæ præscriptam  
 „ a Logica formam, in ratiocinando ni-  
 „ mirum, servat, ut argumentatio con-  
 „ cludat vi formæ. Ego in formam de-  
 „ monstrationum veterum Geometrarum  
 „ inquirens utilitatem Logicæ communis  
 „ deprehendi, atque ita probavi iudicium  
 „ Leubnitianum, a quo antea eram alie-  
 „ nus præiudicio ex Cartesii tractatu de  
 „ Methodo & Tschirnhausii Medicina  
 „ mentis contracto.„ Huc usque Wol-  
 „ fii, in hoc solo allucinatus, quod credat,  
 „ se Scholasticorum notiones reddidisse cla-  
 „ riores; quamvis enim in Scholasticorum  
 „ innumeris scriptis, & in ipsis omnibus  
 „ Wolfianis elucubrationibus, quas edidit,  
 „ diligenter versatus sim, fateor tamen,  
 „ me Scholasticorum notiones distincte &  
 „ faci.

facile, Wolfii vero in hac Logica notiones nonnisi cum labore & majori, quam alias soleo, attentione intelligere. 2) Sed ad rem; sic præcepta Wolfiana per substitutionem aliorum æquivalentium terminorum sonant:

153. Si quis Philosophiam per syllogismos demonstrativos tradere debet, ei jugum servitutis in philosophando imponi nequit.

156. Si quis Philosophiam per syllogismos demonstrativos tradere debet, is suo non aliorum debet stare judicio.

161. Si quis per Syllogismos demonstrativos philosophatur, is defendere nequit revelatæ veritati contraria.

Jam vero Scholastici debent tradere Philosophiam per Sillogismos demonstrativos. sunt eorum innumeri exercitus, jurati ad omnes Logicæ communis apices, detriti toto vitæ tempore in forma & concatenatione syllogistica, sunt liberi a curis domesticis uxoris, liberorum, & familiæ, sunt addictissimi perpetuæ familiaritati cum  
Deo

- a) Cui Wolfiana philosophia est familiaris, is in Scholasticis sæpius terminos sine ideis, & notiones obscuras & confusas, non probatas, falsas deprehendit,



Deo per quotidianas meditationes viræ ac doctrinæ Christi, & per preces ad laudes divinas, quomodo ergo hi possunt defendere revelatæ veritati contraria? docent, a) in Philosophia possibilium etiam comprehendi Christum Eucharisticum, dum exuendo unam ac alteram proprietatem corporis induit statum illum, ideæ humani corporis simillimum docent, Deum in sua potestate habere mundum istum corporeum, ac corpora, sicut nos habemus in potestate ideas corporum, eas suscitando, destruendo, unam in locum alterius sustituyendo, eas in anima non magna extendendo, vel contrahendo, vel sine soliditate & locorum distantia commiscendo, ut plane omnis evanescat difficultas mysterii. Docent præterea, in Philosophia possibilium contineri decenter, ut Deus gratum sibi habeat cultum suis amicis exhibitum, talibusque cultoribus aulicorum suorum magna exhibeat beneficia; agnoscunt in Philosophia possibilium contineri, ut Christus Iesu amoris ineffabili & terribili se quotidie faciat offerri Patri in Sacrificio Missæ, quo nihil est nobis divinius & jucundius. Hæc, inquam, docent, qui sequuntur, ipsa confessio-

C

a) Docent, sed ita ut Philosophiæ & Theologiæ contradicant.

fessione Wolfii, Methodum Philosophicam. Si ergo hi possunt docere Religioni contraria, errat Wolfius in sua Logica, & ostendit, in Protestantium Philosophia rationali peccari in principiis, ingenti causæ jam alias profligatæ incommodo. Si vero hi Scholastici, qui & ipsi jubentur tradere Philosophiam secundum formam Syllogisticam, ac Methodum, docere non possunt Religioni contraria, sectetur eorum fidem, & humili submissione adoret in nostra Ecclesia secrete operantem Dei providentiam. Quod si vero uberiores Logicæ Scholasticæ notitiam poscit, legat dialecticam Ekii, & Zabarellæ, qui ubi agunt de Methodo prorsus eadem; quæ Wolfius se invenisse ac primum observasse autumat, longe accuratius b) nobis tradiderunt. Hæc de Logica Wolfii sufficient. Nec enim finem principio meliorem reperies.

## II. JUDICIUM DE PHYSICA, MONADOLOGIA LEIBNIZIANA.

Leibnizius, præter principia Mechanica admittit in natura etiam aliquam vim insensibilem.

- b) Cur ergo Criticus hæc non inseruit suæ Philosophiæ? cur ad hanc lectores non ablegat?

sensibilem; & entia abstracta; per quod suis denuo januam ad Philosophiam Scholasticam aperuit. Vidit enim vero, corpora extensa habere aliquam vim resistendi & movendi; inde vires centripetæ, vis gravitatis, vis inertiae &c. Vis ista non est aliquid sensibile; sed intelligibile tantum; igitur & essentia corporis in extensione non consistit, utpote quæ omnium proprie tantum corporearum causa esse non possit.

Admittit proin materiam aliquam; & in materia agnoscit vires primigenias insensibiles, quæ pro forma substantiali cujusque rei habere possint. Materia de se est divisibilis in infinitum; ipsæ vero vires sunt concreatæ cum mundo, ingenerabiles & incorruptibiles; igitur nulla datur nova formarum productio, sed tantum in lucemeductio; quin nec ipsarum animalium animæ producuntur; sed partes organorum jam seorsim viventium coadunantur: quæ, dum animal moritur, iterum separantur; putat enim decere sapientiam divinam, ut quælibet pars organica animalium jam habeat vires proprias, & quælibet cujuslibet machinæ a Deo productæ pars sit aliqua machina. Cæterum mutuam actionem inter corpus & animam humanam explicat per harmoniam unisonam;

C 2

sicut,

sicut, si duo horologia perfecte uniformia producerent eosdem motus, non ob mutuam dependentiam sed ob simultatem temporis & similitudinem artificii & concomitantiam actionum. Hæc omnia Leibnizius diversis scriptis in diurnalibus & Actis Eruditorum cum orbe litterario communicavit, dum vixit: post mortem vero ejus principia collecta, & in sequentem formam, ab ipsomet Authore conscriptam, in Actis Eruditorum publicata sunt.

In suppl. l. 7. L. II. anno 1721, aliqui tamen testantur, Leibnizium falsum esse, hæc non serio, sed tantum pro lusu ingenii a se conscripta esse. Quidquid sit summa illius systematis, hæc est:

1. Elementa omnium rerum sunt Monades, seu substantiæ simplices, ingenerabiles, & incorruptibiles, a Deo creatæ.

2. Hæc Monades non possunt ab extrinseco mutari, recipiendo novam formam, aut entitatem, quia sic tantum Monas adderetur ad Monadem.

3. Monades tantum possunt mutari eo modo, quo possibile est reperiri multitudinem in unitate seu varietatem in ente simplici. Hoc autem tantum fit ope perceptionis in anima, dum anima transit ab una perceptione ad aliam.

Itaque Monades sunt meræ animæ. Quamvis rigorose loquendo animæ vocari non

non

non possint; eo quod nomen animæ tribuatur illis entibus, in quibus perceptioni conjuncta est apperceptio seu reflexio ac memoria, qualis Monadibus non convenit. Monades enim simillime sunt illo statui mentis nostræ, in quo nihili recordamus, nec ullam perceptionem distinctam habemus; veluti cum deliquio animi laboramus, aut quando somno profundo absque insomnio oppressi sumus.

5. Quælibet Monas repræsentat totum universum; adeoque est quodammodo omnia; sed sicut remota non satis oculis discernimus ita fit, ut non omnia, quæ in quavis Monade insunt, distincte represententur.

6. Itaque generatio rerum nihil aliud est, quam evolutio earum rerum, quæ in Monadibus repræsentantur. Quando enim distincte percipiuntur, tunc sunt. Produci formas nihil aliud est, quam prodire in theatrum majus, seu fieri visibiles, quod prius in Monade latuit.

7. Hæc evolutio formarum fit certo ordine, eo nempe, qui est optimus; sic ut semper antecedens sit causa, cur fiat subsequens, quia in se habet rationem melioris.

8. Quia autem in mundo omnia fiunt secundum leges causarum efficientium, ordine optimo; quæ ab anima humana mutari non possunt; ideo anima humana non agit

in corpus, sed Deus sic corpus disposuit, ut ea fierent in corpore, quæ anima vult fieri in corpore. Et in hoc ipso consistit Harmonia Leubnitiana præstabilita. Hæc est summa Systematis Leibniziani, in quo Author supponit, perceptiones in anima fieri sine productione novi entis, quod non solum non est demonstratum, sed & falsissimum est. Dein

Hoc Systema Leubnizii ex multis capitibus falsum ac ex pluribus dignum risu est. Falsum est. 1. Quia supponit, omnia in mundo non solum vivere, sed & nihil aliud dari, quam meras animulas; si intueor lignum, aut lapidem, iuxta Leubnizium intueor tantum Monades, seu aggregatum animularum, quæ dormiunt; dum bibimus aquam vel vinum, & comedimus panem, quot animulas infumimus! est sane miserrimum talia cogitare; cum enim omnes hæctenus, Philosophi aliquid certe cogitaverint, quando cogitaverunt de ligno, lapide, aqua, vino, pane, &c. nec tamen cogitaverint de corpore animato, haud dubie poterit Deus producere aliquid simile his Philosophorum conceptibus; si autem Deus potuit producere aliquid simile his Philosophorum conceptibus, etiam conveniens erat. ut sic produceret, quia sic conveniens esse judicarunt omnes homines

mines

mines docti & indocti, in quibus utique juxta ipsa principia Leubniziana datur parva divinitas, adeoque harmonia inter leges Prudentiæ Architectonicæ & divinæ & humanæ. Neque etiam ulla videretur *ratio melioris* in hoc aggregato animarum lignearum & lapidearum, cum earum productio tam ad effectus naturales, quam ad commendandas perfectiones divinas sit prorsus frustranea. 2. Falsum etiam est, quia supponit, Deum semper obligari ad faciendum id, quod est optimum; adeoque Deus non esset in agendo liber, sed duceretur fato rationum in totius entis possibilitate præponderantium. Hoc vero est ingens error, & is ex eo promanat, quod Leubnizius nesciat, in mente Dei tam parum esse possibile infinitum collective sumptum, quam parum id possibile est a parte rei. Si ergo Deus ex infinitis entibus possibilibus nunquam potest sumere collectionem infinitam collective, etiam non poterit unquam sumere aut intelligere absolute optimum; cum talis acceptio supponat comparisonem optimi ad infinita entia vel systemata possible simul in mente Dei collective accepta; adeoque dicendum, quod Deus quocunque ente finito accepto possit intelligere melius, nec unquam perveniat

niat

niat ad ultimum , quod est absolute optimum. Hæc sunt præcipua duo capitâ errorum in hoc Systemate Leubniziano; reliqui enim errores, qui in eo latent, sunt innumeri & indigerent integro tractatu pro refutatione, quem etiam facile conscriberem si metuerem aliquos sanæ mentis homines istis nugis posse seduci; qui vero jam aliunde corrupti sunt, his utique alia prius Medicina mentis paranda est.

